

detur olim futura. Patri Biardo ad Eplani piscis amnem die quodam agenti affertur nuncius ab ægrotta, & animam agente muliere, quæ ipsum videre atque alloqui valdè cuperet, ad Sanctæ Mariæ Sinum, duabus ab eo amne leucis. Eò ducem habuit vnum de contubernio, feminamque more gentis præter fumum stratam deprehendit, tertia iam hebdomada miserè languentem: ægram, quoad per eius morbum licuit, Catechesi necessaria instruit, adhibitusq; pro re nata precibus cruce ad pectus appensa munit, seque vocari iubet, si quid ei posteà deterius accidat. Postridie mulier bene sana è foco exsilit, & graui onusta sacco ad maritum quattuor inde leucas vegeta contendit. Eam sanationem Caluinianus Dieppensis omnium primus obseruauit, confessimque illius euentum mirabilem nunciaturus ad Patrem Biardum accurrit. Idem Pater in ora Pentegoetia cum Biencourtio versabatur, vbi pro instituto mapalia Barbarorum circumiens, ægros visebat, solabatur, precibus, ac Christianis documentis iuuabat. Ibi tertium iam mensem